



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

De campanariis, quod sint literati, & in Albis ministrent. 16

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

vincia, aliqua Emenda seu Pœnitentia publica ipsis imponatur, cum ex talibus infames reddantur, sicut in aliquibus Ecclesiis intelleximus observatum: videlicet, quod Canonici & Clerici alii ante Cruces in Processionibus & in Choro, diebus quibus cæteri in albis procedunt, in nigris cappis circumeunt & incedunt in publico & in facie Laicorum: quod de cætero in virtute sanctæ Obedientiæ fieri prohibemus. Sed Superiores eorum, juxta qualitatem delicti, pœnitentias ipsis Clericis imponant, sui Ordini congruentes. Si secus actum fuerit, decernimus, ipsos Clericos ad hujusmodi Emendas publicas non teneri.

XI. *Quod, non nisi Ordinati ad Sacros Ordines, legant Epistolas vel Evangelia.*

Statuimus item, ut, non nisi Ordinati legitime ad sacros Ordines, Epistolas vel Evangelia legant, induti vestimentis sacris; cum id obviet Canonice institutis. Contrarium facientes, à suis Decanis puniantur.

XII. *Quod nullus Ecclesiam curatam teneat, nisi ab Episcopo vel Archidiacono instituat.*

Item statuimus, quod nullus Ecclesiam curatam de cætero teneat, vel regendam recipiat, aut susceptam tenere præsumat, nisi à Nobis, vel Archidiacono, & eorum vices gerentibus (quibus hoc de Iure vel consuetudine competere dinoscitur) de eadem fuerit legitime institutus, cum alias non habeat Claves ligandi vel solvendi. Contrarium faciens, nisi dictam Ecclesiam dimittat, monitione viginti dierum præmissa; ex nunc Excommunicationis sententiam (quam in ipsum in his scriptis ferimus) incidat ipso facto; nec plebs ei obediat vel intendat.

XIII. *Quod provisi de Beneficiis autoritate Apostolica, se faciant juxta formam provisionis ordinari.*

Statuimus etiam, ut, quibus in Nostra Civitate est de Beneficiis Ecclesiasticis autoritate Apostolica provisum, sic quod ad ea, pro ut onus Beneficiorum eorundem requirit, promoveri teneantur, se faciant juxta formam provisionis eorundem ad dicta Beneficia promoveri: alioqui ea vacare decernimus, & eorundem collationem devolvi ad Superiorem, ut per ipsos intra tempus Iuris de personis aliis ordinetur. Et, si contra hæc Clerici hujusmodi fructus eorundem Beneficiorum perceperint, illos suos non faciant, nec ipsis ministrantur: quod in virtute sanctæ Obedientiæ duximus injungendum.

XIV. *Quod fructus Canoniorum suspensorum, decedentium, cedant Ecclesie, & non successoribus suspensorum.*

Statuimus & hoc, ut, si qui Canonici suspensi decesserint, quod propter hoc Ecclesiæ annis gratiæ & eorum fructibus post obitum cujullibet ex consuetudine currentibus non fraudentur: sed ipsis Ecclesiis, & non successoribus suspensorum, cedant pro redditibus perpetuis comparandis, ad communem utilitatem Ecclesiarum, ne Ecclesiæ ipsæ ex alieno delicto jacturam sentiant in hoc casu.

XV. *Quod Clericus non leget Concubinis suis vel spuris annum gratiæ suæ.*

Nullus item, annis gratiæ abutens, fructus annorum suorum, spuris vel Concubinis suis leget aut donet. Contrarium faciens, Ecclesiastica careat sepultura: & legatum hujusmodi, non teneat in hoc casu, sed cedat Ecclesiæ à qua processit.

Item Vicarii Ecclesiarum Collegiatarum vel aliarum Ecclesiarum, ad Ordinem, quem onus Beneficiorum suorum requirit, à tempore susceptorum Beneficiorum promoveantur, & personaliter resideant in eisdem. Aliis eisdem Vicariis seu Beneficiis, si non promoveantur, nec personaliter eas deservierint, ipso facto post lapsum anni Iuris, impedimento cessante, sint privati, & collatores earundem Vicariarum seu Capellaniarum, de ipsis, Personis aliis (id facientibus) studeant providere. Idem de Vicariis jam existentibus volumus observari, ne votum Christi fidelium, qui hujusmodi Vicarias pro remedio animæ suæ, vel pro cultu Divino ampliando, instituerunt & dotaverunt eisdem, per talium non promotorum & non deservientium negligentiam defraudentur.

Quod Vicarii ordinem requisitum recipiant & personaliter resideant.

XVI. *De Campanariis, quod sint literati, & in Albis ministrant.*

Presbyteri item, sub albis, Camisias habeant; & Campanarii (quos literatos semper assumi volumus, ut saltem in responsionibus communibus Presbytero valeant respondere) similiter tempore Divinorum, Camisias mundis & albis sint induti, nec quotidianis vestimentis, suis in suo Officio ministrant indecenter: aliis, per locorum Decanos & Plebanos, ad sui Officii exercitium nullatenus admittantur: quod ipsis Decanis & Plebanis in virtute sanctæ Obedientiæ duximus injungendum.

Quod